



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

Concilium Eboracense Pro Reformandis Ecclesiae Illius moribus auctoritate
Huberti Cantuariensis archiepiscopi, & apostolicae sedis legati celebratum
Eboraci anno Domini MCXCIV. tempore Caelestini ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

tantæ irregularitati, nisi circumuentus, auctoritatē præstiterit aut fauorem; fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, & in virtute obedientiæ districte præcipimus, quatenus (prædictis literis, vel aliis priuilegiis confirmationis vel indulgentiæ nequaquam obstantibus) amotis ab eodem monasterio sacerdularibus clericis qui in eo fuerunt, per supradictum episcopum instituti, sine alicuius quæstionis impedimento monasticum ibidem ordinem reformatis, monachos eiectos exinde redeentes in illud, & tales in eo instituentes personas, quæ beati Benedicti regulam obseruare debeant & desiderent. Memoratum vero episcopum, & vniuersos detentores bonorum eiusdem ecclesiæ ad eorum restitutionem per censuram ecclesiasticam, appellatione * proposita, compellatis. Volumus etiam nihilo minus & mandamus ut donationis eiusdem episcopi, infederationes, locationes, & alienationes, possessiones eiusdem ecclesiæ ab eo tempore factas nostra freti auctoritate cassetis; eos qui contrauenire præsumperunt, sublato appellationis obstaculo, censura canonica percellentes; illos qui manus violentas in prædictos monachos iniecerunt: denuntietis excommunicatos, & cum literarum vestrarum testimonio veniant ad sedem apostolicam absoluendi. Datum, &c.

ANNO
CHRISTI
1194.

CONCILIVM EBORACENSE
PRO REFORMANDIS ECCLESIAE ILLIVS
moribus auctoritate Huberti Cantuariensis archiepiscopi, & apostolicae sedis legati celebratum Eboraci anno Domini M C X C I V. tempore Cælestini papa III.

NOTA.

* *Concilium.*] Acta Concilii extant apud Rogerum de Houeden huius temporis scriptorem: *In sequentibus autem duobus diebus, scilicet feria quarta & feria quinta, congregatis in ecclesia sancti Petri Eboraci Simone eiusdem ecclesie decano, & Hamone precentore, & Willmo Testard, & Gausfrido de Muschamp, de Nottingham, & de Eliueland archidiaconis, & Joanne cancellario, & Roberto preposito Beuerlaci, cum quibusdam ecclesia canonicis, & fere omnibus abbatisbus,*

K iiij

78 CÆLESTINVS CONCILIVM HENRICVS VI. IMPERATOR.
P. III. RICHARDVS I. REX ANGLIÆ.

& prioribus, & officialibus, & decanis, & personis ecclesiistarum Ebora-
censis diaecesis, ipse legatus in eminentiore loco cathedraliter sedidit, & Con-
cilium celeberrimum celebravit, in quo hec decreta subscripta statuit ser-
uanda.

ANNO
CHRISTI
1194

DECRETA EBORACENSIS CONCILII.

I.

CVM inter cetera ecclesiæ sacramenta hostia
salutaris præemineat, tanto impensior circa
eam debet existere deuotio sacerdotum, vt cum
humilitate conficiatur, cum timore sumatur, cum
reuerentia dispensetur; & minister altaris sit certus
quod panis & vinum & aqua in sacrificio ponan-
tur, nec sine ministro literato celebretur. Proui-
deatur etiam vt in pyxide munda & honesta ho-
stia reseruetur, singulisque dominicis diebus re-
nouetur. Quoties autem communio exhibenda
est infirmis, sacerdos in propria persona hostiam
in habitu clericali tanto sacramento conuenienti
deferat lumine præcedente, nisi aeris intemperies,
vel viarum difficultas, vel alia ratio præpediat.

II.

Quia secretum Missæ frequenter inuenitur aut
scriptorum falsitate, aut librorum vetustate corru-
ptum, ita vt legi distincte non possit, archidiaco-
norum solicitude prouideat, vt in singulis eccl-
esiis ad verum & probatum exemplar canon Missæ
cum omni diligentia corrigatur.

III.

Prohibemus etiam ne sacerdos laico ad poenitentiam venienti obtentu cupiditatis iniungat vt
Missas faciat celebrari; & illud etiam decreuimus
prohibendum, ne sacerdos aliquis pro celebratio-

ANNO CHRISTI
1194. ne Missarum precio constituto pactum ineat , sed
hoc dumtaxat quod offeretur in Missa recipiat.

IV.

Statuimus ne in baptismate plures quam tres
fuscipient puerum de sacro fonte ; masculum duo
mares , & vna mulier ; feminam duæ feminæ , & v-
nus mas : vbi autem puer , cuius baptisma ignorat-
tur , reperitur expositus , siue cum sale , siue sine sa-
le reperiatur , baptizetur , cum non intelligatur ite-
ratum quod nescitur fuisse collatum . Decreui-
mus etiam , vt non nisi summa & graui urgente ne-
cessitate diaconus baptizet , vel corpus Christi cui-
quam eroget , vel pœnitentiam confitenti impo-
nat , vt iuxta paternorum tenorem Canonum huic
ordini sacerdotali proprie conuenire decernit an-
tiquitas . Sub eodem tenore constitutionis adiici-
mus , vt quoties sacerdos ad puerum baptizandum
vel infirmum communicandum inuitatur , moras
innectere non præsumat .

V.

Cum in domo orationis , quæ domus Dei nun-
cupatur , nihil debeat esse indecens , nihil inordi-
natum , præcipimus vt personæ & vicarii ecclesia-
rum studeant prouidere secundum competentes
eis pensiones , prout ratio dictitat , & consuetudo
approbata postulat , quatenus ecclesiæ , quæ repara-
tione indigent , reparentur . Item cum ornamentis
ministerio congruis ministretur . Item cum calice
argenteo , vbi facultas suppetit , sacramentum eu-
charistiæ conficiatur . Huic ordinationi terminum
præfiximus ab initio nostræ legationis in annum .

80 CALESTINVS CONCILIVM HENRICVS VI. IMP.
P. III. RICHARDVS I.R. ANGLIÆ.

Quod si hæc medio tempore executioni manda-
ta non fuerint , decreuimus , vt ante elapsum ter-
minum de ecclesiarum redditibus dispositio nostra
plenum sortiatur effectum.

VI.

Statuimus etiam , vt clerici , qui ab episcopo co-
ronam suscepunt , tonsuram habeant & coro-
nam ; quam si habere contempserint , ad hoc bene-
ficiorum si qui habeant , priuatione cogantur ; qui
vero beneficia non habent , per archidiaconum
vel decanos tondeantur inuiti . Præcipimus etiam
vt sacerdotes non in cappis manicatis incedant , sed
in vestibus suo ordini congruis : vt , sicut ceteris di-
gnitate præminent , sic plenius & formam &
exemplum exhibeant honestatis .

VII.

Cum scriptura beatum esse eum testetur , qui
manus suas excutit ab omni munere , diligent studi-
o prouidendum est , vt gratis exhibeat iustitia ,
nec pro ea in causis ecclesiasticis facienda vel ad-
imenda , siue acceleranda , vel differenda , quidquam
precii præsumat accipere , vt ei fructum iustitiæ
suæ tempore opportuno retribuat iustus Iudex .

VIII.

Cum decimæ sint tributa egentium animarum ,
& ex præcepto Domini dari debeant , non est redi-
dentis eas diminuere . Statuimus itaque , vt de his
quæ renouantur per annum , cum omni integritate
decimæ debitæ & consuetæ conferantur : ita vt
in primis decimæ absque vlla diminutione eccl-
esiæ dentur , postmodum de nouem partibus mer-
cedes

ANNO
CHRISTI
1194.
• soluen-
tis

CÆLESTINVS EBORACENSE. HENRICVS VI. IMP.
P. III. RICHARDVS I. R. ANGLIAE. 81

cedes messorum & aliorum seruientium pro arbitrio * soluendis tribuantur.

Exigit professio religiosæ sanctitatis, vt monachi & canonici regulares, & moniales, religiose & regulariter conseruentur. Vt ergo eis adimatur opportunitas euagandi, prohibemus ne reditus, quos obedientias vocant, ad firmam teneant; nec iter peregrinationis arripiant, nec extra monasteria sine certa & rationabili causa, nec absque societate, cuius certa sit honestas & indubitata, proficiscantur. De monialibus autem id specialiter adiicimus, vt absque societate abbatissæ vel priorissæ ambitum monasterii non egrediantur.

Adiicimus etiam, prohibentes ne laicus aliquis ecclesiam vel decimas ad firmam recipiat, siue solus, siue clericō sociatus.

Vt calumniatorum improbitas, & temere iurantium malitia timore cælestis iudicij retundatur, præcipimus vt quilibet sacerdos de cetero ter in anno solenniter accensis candelis, pulsatisque campanis, eos excommunicet qui in recognitionibus, aliisve testimoniis, scienter & sponte peierabunt; & eos qui malitiose alios facient peierare; eosque singulis dominicis diebus excommunicatos denuntiet, vt crebra maledictionis iteratio eos a sua iniquitate retrahat, quos accusatio propriæ conscientiæ non deterret. Si vero de periurio pœnitentia, ad archiepiscopum vel episcopum, vel generalē diœcesis con-

Concil. Tom. 28.

L

82 CÆLESTINVS CONCILIVM HENRICVS VI. IMPERATOR.
P. III. RICHARDVS I. REX ANGLIAE.

ANNO
CHRISTI
1194.

fessorem absente archiepiscopo vel episcopo transmittantur ab eo pœnitentiam suscepturn: in extremis vero laborantibus insinuanda, non est impoñenda pœnitentia, eisque firmiter iniungatur, ut si vixerint, archiepiscopum, vel episcopum, vel generalem diœcesis confessorem, absente archiepiscopo vel episcopo adeant, ut eis pœnitentia competens imponatur.

XII.

Quia sermo Domini est, *Sacerdos meus si deliquerit, delinquere faciet populum meum*, Et, *Ruina populi sacerdos nequam est*, exigit tanti ordinis excellētia, ut a publicis potationibus & tabernis sacerdotes abstineant, & qui voto continentiae sunt astricti, nequaquam ad actus turpitudinis se relaxent. Prohibemus igitur ne focarias habeant in domibus suis, nec ad electas in nostræ constitutionis fraudem accessum in domibus alienis. Si vero in turpitudine sua persistent; & hoc decani dissimulantes ad notitiam prælatorū suorum non detulerint; ab officio suspendantur: qui vero zelo Dei accensi prælatis nuntiauerint excessus eorū diuinæ benedictionis gratiam consequantur. Pœna autem eorum qui publice focarias tenent, hæc erit: ut tamquam infames ab aliorum accusatione, & a testimonio repellantur: si vero nec huius pœnæ metu resipuerint, ab officio & beneficio se nouerint suspendendos. Suspectus de crimine per famam communem, vel verisimilia indicia per decanū loci admonetur familiariter, semel, secundo, & tertio, ut se corrigat: quod si non fecerit, decanus, adiunctis si bi duobus vel tribus penes quos eius fama laborat,

*Lxxvii. 4.
Offa 9.*

ANNO CHRISTI
1194. eum corripiat: si nec sic videatur corrigi, dicatur ecclesiæ, scilicet arguatur in capitulo, ut conuictus vel confessus canonice puniatur. Inficiant, si conuici non poterit, canonica purgatio indicatur: ita quod numerum duodenarium non excedat: infra numerum plures paucioresve poterunt recipi secundum statum personæ, & quantitatem siue qualitatem infamiae, pro arbitrio iudicantis: & statim primo die, quo paratus est is, qui infamia laborat, se purgare, purgatio admittatur, ne metu vexationis ex dilationibus contingentis pecunia extorqueatur. Hoc & supradieta statuimus, salua in omnibus sacrosanctæ Romanæ sedis auctoritate & dignitate.

In Concilio autem illo magister Petrus de Dinan exigebat sibi fieri plenariam restitutionem archidiaconatus de Vestring, quem Gausfridus Eboracensis archiepiscopus ei dederat, mandans capitulo Eboraci per literas suas, ut cum reciperent, & in stallum mitterent: cui Simon decanus & capitulum Eboracense responderunt, quod archiepiscopus non potuit archidiaconatum illum aliquid dare, quia ultra terminum statutum in Concilio Lateranensi dare distulit, in quo Concilio Alexander papa III. constituit, quod cum prabendas, ecclesiæ, seu quilibet officia, in aliqua ecclesia vacare contigerit, non diu maneant in suspensō, sed infra sex mensēs personis quæ digne administrare valeant conferantur. Si autem episcopus, ubi ad eum spectauerit conferre, distulerit, per capitulum ordinetur, quod si ad capitulum electio pertinuerit, & infra prescriptum terminum hoc non fecerit, episcopus secundum Dominum cum religiosorum virorum consilio exequatur: aut, si omnes forte neglexerint, metropolitanus de episcopis secundum Dominum absque illorum contradictione disponat. Huius ergo dispositionis auctoritate, & priuilegii sui munimine a Calestino papa tertio ecclesia Eboracensi induito asserebant prefatus decanus & capitulum Eboracense, quod ad illos spectat donatio predicti archidiaconatus & aliorum reddituum vacantium in ecclesia Eboracensi, quos archiepiscopus suus non dederat intra fixū in Lateranensi Concilio terminum: sed officiales Eboracensis archiepiscopi, scilicet magister Girardus de Rouelle & magister Honorius, appellauerunt contra priuilegium illud, & appellationem, quam dominus eorum archiepiscopus in recessu suo fecerat pro statu ecclesia sua, renouauerunt coram legato & toto Concilio: & quamvis in priuilegio illo continebatur, Remota appellatione, tamen legatus detulit appellationi officialium Eboracensis archiepiscopi. Hæc Rogerus de Houeden,

Concil. Tom. 28.

L ii